TECHE
UDINE

MANOSCRITTI

FONDO PRINCIPALE

Manoscritto n. **P_MSS_0800**

Nel Fondo Principale sono confluiti la maggior parte dei lasciti manoscritti pervenuti alla Biblioteca Civica «Vincenzo Joppi» nel corso del tempo: si tratta perciò di un fondo composito nel quale è possibile trovare manoscritti di argomento liturgico, scientifico, giuridico, botanico e altro.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine
https://www.techeudine.it/fondo-principale
https://www.sbhu.it/

Racc. ~~[illegible]~~ stat[illegible]

~~[illegible]~~

da 794

a 803

XXVII
28

XXVII
28.

800

Ad Notitiam Anonymi (di Pers Ciro)
de Patria Parlamento
et Origine Familiarum
Nobilium Forijulii

Jo. Joseph Liruti

Notanda.

(Trascritto da un Vol. di Opuscoli Friulani inediti
Autografo di G. G. Liruti
nella Bartoliniana)

Notitia hęc, quam Anonymus quidam e numero procul dubio Feudatariorum, octuaginta ab hinc annis in compendium gloriosus miles effudit, in lucem Benetti Miloci Venetis typis anno 1676 edita fuit, dicataque Andreę Valerio Senatori Veneto, hujus nostrę Provincię Patrono; hanc tamen ego antequam editio in manus incidisset, hic e Ms. transtuleram, prout forte in Autographo, inveneram. Si de hac quoque, ut de aliis in hanc Collectionem invectis, judicium meum affectu omni deposito, ingenue proferendum est, pronunciabo historiolam hanc compendiariam, nec ab homine indocto, nec ab omnino impudenti, immo M. Tullium pro Domo sua disserentem imitanti, sermone nostro non incompto, et ordine convenienti compositam ab Anonymo nostro fuisse, et ut mihi videtur, ita esse ajo. At cum in eum scopum collimasse Auctorem aperte intelligatur, ut glorię et honori Patrię suę, consuleret plurimum et pręsertim in Provincialis Generalis Curię, quam Parlamentum appellant, dignitatem ostentandam; tum ex jurisdictionibus ipsi insitę potestate, tum ex Conscriptorum in eandem nobilitate sollicitudine majori incumbat, ut altius in excelsum pro suis viribus, res nostras extollat, gestorum veritate, auctoritatisque non contentus, fabellas quoque interserere proposito suo commodum, conveniensque duxit, ut illis res nostrę inflatę, tumentesque majorem sui opinionem, famamque et speciem legentibus ingererent; et ut posteriora, quę privatam potius quam publicam notitiam persequuntur, prioribus quę provincię universalem historiam fere attingunt, coherentia produceret, his quoque veritati historię non omnino consona apposuit.

Injucundum, molestum quinimo judicium hoc meum, et impudens quibusdam (ex iis pręcipue cujus res agitur) visum iri, ęgreque id laturos pro certo habeo, quasi contumeliam, maculamque hac via ordini suo nobili, et ipsorum dignitati, partium studio impulsus inusserim; sed ut longissime ego ab hoc proposito absum (institutum perpetuum meum, et constans servando), ita

et illi, si id de judicio meo sentiant, aut arbitrentur, a veritate quoque longe absunt. Enimvero, si fabellas ab Anonymo allatas explodam, si res, quæ gratis ab ipso asseruntur, et quæ probationibus vel auctoritatibus indigent, ab historiæ veritatis consortio exulare jubeam; quam injuriam, quam maculam origini eorum, illorumque consessus, et ipsorum dignitati inferam? Immo mehercule si hæc ipse pro veris cooptarem, si confictum illis honorem, fucatamque dignitatem appositam calculo meo probarem, tunc vere injuriam, contumeliamque, et ipsorum singulorum, et eorum totius Curiæ existimarem, cum et nobilitatem et dignitatem eorum confictis et falsis adminiculis suffultam et extructam brevi, et facile ruituram constituerem. Vera eorum, et omnibus spectata et nota nobilitas, et antiqua dignitas hisce non indiget caducis fulcimentis, ut qualis, et quæ sit, suspiciatur; adsunt immensa monumentorum veterum ineluctabiliaque argumenta, quæ ipsas in lucem, conspectumque hominum, non personatis faciebus, nec fucatis coloribus infectas, sed quæ veræ sunt producant; quibus firmatæ, securæ, perfrictaque fronte in honestiorum virorum societatem et consessum honore omni excipiendæ, amplexandæque procedant; nobilem namque in nostra provincia locum nemo, qui imprudens aut fatuus non sit, unquam ipsis contendere ausus fuit, aut in contentionem, et judicium provocaturus revocavit. Quæ cum ita se habeant; nec apud sapientes, prudentesque viros, qui rationi convenientia dijudicent, et amplectantur, amplius de judicio meo querelis locus esse possit; nihilominus, ut omnibus, et iis ipsis factum de hac re satis sit, judicii mei rationem reddere decrevi. Et ut res eo procedant ordine, quo eas noster Anonymus procedere voluit, primum, quæ animadversione digna in universalis Forojuliensis Historiæ compilatione videbuntur, vellicabo; et exinde, si quod in gentium origine pendenda Auctoris lapsus, vel nimiæ credulitatis ejus peccata deprehendam, ea abjicienda, et ablegando esse admonebo, locis observatione, vel

stylo dignis numeris prænotatis.

1.) S. Evangelistæ Marci Aquilejam appulsum et apostolatum antiqui sancti Patres, et celebriores primævi ævi historiographi, quos inter Eusebius Cæsariensis antesignanus, S. Hieronymus et Rufinus noster, in suis historiis et chronicis nullibi memorant; immo S. Hieronymus Marcum a Petro Apostolorum Principe Alexandriam Roma missum atque martyrii corona honestatum in Cœlum volasse affirmat, nulla Aquilejensis apostolatus mentione facta. Quod animadversione dignum mihi videtur, cum Lectiones omnes Breviarii, et Acta S. Marci, quæ in ejus festo in Ecclesiis Aquilejensis provinciæ recitantur, hunc apostolatum memorent, Lectiones tamen Ms. Breviarii secundum consuetudinem Aquilejensis Ecclesiæ ordinati, et ad Parentinam Ecclesiam pertinentis, quod in Mss. Fontaninis oppido S. Danielis legatis custoditur, nullum de hoc apostolatu verbum proferunt; quod ad earum lectionum antiquitatem, et ingenuitatem agnoscendam plurimum conferre non ambigo, sed de hæc obiter. Qui de hujus apostolatus verba faciunt, non antiquiores sunt illa historiola, quam Baronius ex Ms. Vaticano adfert, et affigit ad annum 820, n.° 26 et seq.; ex hac plures scriptores hunc apostolatum probare nituntur, et Petrus et Bernardus Justiniani præsertim; sed vide quæ Bollandiani Tom. III 25 Aprilis, in hanc rem collegere; cum autem antiquiores, et primævi Ecclesiæ Scriptores hanc rem silentio prætermittant, et qui primum verba de illa fecerunt, sæculo VIII, vel IX, harum piarum fabellarum feracissimo una cum VI et VII antecedentibus, floruerint et scripserint, Tillemontii et Bailleti criticis animadversionibus de hac re deferendum est, et cum illis sentiendum. Acta nempe, quæ sæculis illis emerserunt, Monachorum Commenta esse, vel saltem ab ipsis excogitatis, piis fabulis conspersa fuisse, eaque præsertim, quæ plures per Europam Ecclesias Apostolicis originibus illustrare conantur.

Si S. Marci apostolatus inter incerta est ablegandus, Episcopatus S. Hermachoræ, quo loco censendus sit, aperte patet; statim enim, et hujus Acta, quæ ipsum Romam ad S. Petrum a Marco perductum

baculum pastorale accepisse narrant, corruant necesse est. Præterea cum de nostro S. Hermachora nulla in antiquis mentio inveniatur ante sæculum nonum, præterquam in Romano Martyrologio / cujus auctoritas in his asserendis et confirmandis quanti sit momenti omnes norunt). Actaque illius, quæ apud Ecclesiam Aquilejensem et Forojuliensem observantur, una cum Breviarorum earundem Ecclesiarum antiquis Lectionibus aperte apochrypha sint, et agnoscantur. Ataulfum enim, et Alfium, quos memorant, Gothica sive Langobarda virorum nomina quisque novit, et ea tempestate in Italiam invecta, qua provincia nostra Austriæ appellationem superinduerat, et Episcopus Aquilejensis Protoepiscopus provinciæ Italiæ, ut ipsemet lectiones præseferunt, audiebat; ætatem qua floruerit Hermachoras nos nescire, et an fuerit Aquilejensis Antistes, pro certo nos non habere, ingenue fatendum est. Prætereo libens Lectiones Sancti hujus, quæ usque in hodiernum diem Ecclesia nostra et Diœcesis Aquilejensis recitat, e quibus prima fronte, primisque versibus immane illud oculis portentum occurrit, quo Hermachoras natione Germanus Civis Aquilejensis prædicatur; cum a Græco nomine vel ejus, vel ejus nationis, vel Latinæ credendus potius sit; nec unquam Aquileja Civitas in Germaniam migrarit, aut Germanis, tum barbaris et efferatis nationibus, ulla Neronis tempore, quo passus dicitur sanctus hic præsul, cum Romanis societas, immo e contra hostilitas fuerit, quæ longe post Neronem usque ad Marci Philosophi imperium saltem perduravit, et ut Capitolino placet in Marco, usque Aquilejam populabundi erant progressi. Sed harum lectionum [1] commentum Germano alicui condonetur, qui Patriarchis illis nostris Germanis, ut puta Poponi, Eberardo, Gotepoldo, Ravengerio, et hujusmodi gratificaturus, eas consarcinavit, nationemque Germanam Hermachoræ somniatus est.

2.) Unde Bavari hisce Annales, aut cujus fuerint, qui de rebus tunc in Italia a Carolo M. gestis mentionem fecerint, Anonymus noster noverit, potiores et eidem Imperatori coævos vidi, Eginarthum in Vita Soceri, Annales huic adtributos, eos qui

Bertiniani appellantur, aliosque hujus ævi chronographos, sed nullibi hæc Francorum in Forumjulii jussu Caroli, Rolando Duce colonia transducta memoratur, nec aliam politiam a Francis huc inlatam invenio, nisi Comitibus suis nostras subactas urbes per decennium, vel paulo amplius, Carolus voluerit, Ducis di-gnitate ad modicum temporis sublata, et postea in idem res-tituta. Sed in hac Francica politia Forojulio nostro asserenda Ano=nymi nostri propositum, et intentionem, quamvis eam in lucem proferre cunctabundus non audeat, mihi subolere videor, et ut quidem ariolor est, ut Parlamenti (jam non hanc vo-cem usurpandam) originem et introductionem, et exinde di-gnitatem et potestatem ejus, Patriarcharum dominium præ=cedentem, ad Francos, et Carolum M. præsertim referat; sed cum certæ probationes non adsint, nec ipse de re certi aliquid statue-re ausus sit, rem ego quoque, non omnino intactam in medium relinquam, illius accuratiorem, certioremque disquisitionem aliorum diligentiæ, et ingeniis prætermittens, qui me faventiore et obsequentiore fortuna ga=visuri sint. Non enim mihi, curiose lypsana nostra Forojulien=sia per omnia Tabularia perscrutanti, hujus Curiæ mentionem an=te seculum XII videre contigit; cum vero aliqua exinde noverim quæ conceperam, tamen ad huic ordini et consessui dignitatem et originem nobiliorem, et antiquiorem asserendam non adfuere. Ne vacuum autem omnino et jejunum Lectorem hac de re di=mittam, cum vero noster Anonymus eandem ac in Francia politiam a Carolo M. dum coloniam suam, ut ipsi placet, huc misisset, institutam in Forojuliensi provincia affirmet, et Parlamentum quoque ex Franciæ politiæ vi, et instituto hac in provincia decretum, et tunc primum in more positum fuisse innuere videatur; an hac politiæ pars tunc ea in regno, iisdem quibus quadringentis et amplius ab hinc annis forma, et ordine servata fuit, esset in usu, ab ejus gentis scriptoribus excipere tentabo, et a Doctissimo, et omnigenæ eruditionis locupletæ, Cangio

presertim
Historici et Cronographi omnes qui Caroli M. et ejus successorum gesta recensuere, omnes ipsorum, et illos hue, illusque, prout regni necessitas, et rerum gerendarum ocasio deposiebat, conventus procerum regni, et civitatum coegisse semel, bis, vel pluries in anno, illo, vel illo in loco affirmant; hosque conventus, vel res publicas consulendi, vel decernendi gratia indictos fuisse, vel ut militares copiæ, cum in locum cogerentur, et convenirent, belli alicujus instituendi, vel propulsandi gratia, vel etiam ut graviores quædam, et inter magnatos obortæ lites, et differentiæ disceptarentur; nec alio vocabulo aut appellatione conventus hosce ab historicis illius ætatis memoratos memini, nisi ab eodem voce vel Placiti Generalis. Conventum perpetuo habet Eginarthus, et plerumque alii Annales Francorum, qui tamen aliquando etiam Placitum, raro Synodum præseferunt; in legibus autem, sive Francorum Imperatorum Capitularibus Generale Placitum aliquando pro Conventus occurrit, ut in Lotharii I, edit. Mediolanen. cap. 74, et in patris ejus Ludovici Pii, cap. 41, quibus cavetur, tria solummodo in anno Generalia Placita observari debere, nisi aliqua causa urgeat; et ut habet Poeta Saxonicus, lib. I de Gest. Caroli M. ad annum 777. Conventum Placiti Generalis habere; nunquam tamen Imperatorum Francorum ævo Colloquia vel Parlamenta hos Conventus appellatos fuisse, aliquo in loco me legisse memini. Cujus vero institutionis et originis fuerint Conventus hi, cum id moris Longobardi, tunc cum Italiam invaserunt, in eam invexerint, ut ex Longobardis legibus aperte deprehenditur, hærere fateor; aut enim a Romanis conventibus mutuo accepta barbaro more hæc fuit politia; vel, quod mihi potius arridet, cum Germanæ nationis institutum, Tacito de moribus Germanorum testante, conventus hosce, vel concilia celebrandi ab origine fuerimus, et Longobardi, et Francos, et Anglos id moris a patria quondam sua Germania in eas, quas postmodum occuparunt

regiones secum duxisse, religiose servasse, posterisque per manus tradidisse, pro certo existimandum est. Non igitur a Francis hanc nostri Generalis Parlamenti politiam in Forumjulii importatam asserere pronius est, quam a Langobardis, qui idem servantes institutum politicum, diutius præsentesque Ducatui nostro dominati sunt, quorum mores, et consuetudines serius quam par fuit, et difficilius Forojulienses nostri deseruere, aut in melius mutavere. Sed nec ab istis, nec ab illis hanc politiæ partem provinciam nostram sumpsisse probationibus certis confirmare possumus; præsertim cum serius in Francia et in Italia (eo quo nunc ordine et modis viget) hoc institutum cœperit, ut vocis ipsius notio innuere videtur, et subinde, Cangio Duce, evincemus; aliam Parlamenti Forojuliensis originem, et institutionem aliunde petamus necesse est.

Cum ad conventus hos omnes regnorum et regionum ordines, sine personarum delectu ab origine cogerentur, ambulatoriique essent, et negotiis omnino publicis discutiendis obnoxii, decreti sunt in Francia statarii; et certum ipsis locum, et litium discussio plerumque tantum ipsis est adtributa. Statarium Parisiense Regale Parlamentum factum esse seculum XIII, Tolosanum eodem seculo extitisse, Burdegalense seculo XV a Carolo VII institutum, Rotomagense ad trium Normanniæ Ordinum petitionem reformatum et erectum eodem seculo a Ludovico XII, Aquense, Gratianopolitanum, Divionense e seculo eodem instituta fuisse, vel postea, teste Cangio, animadvertimus. Quocirca cum nil nimis, quam a Francis hoc institutum ad Forojulienses translatum fuisse; hæcque Anonymi nostri gratuita assertio cum Francorum Colonia huc a Rolando deducta evanescat in auras, patiamur, et concedamus necesse est; originem et institutionem primævi Parlamenti Forojuliensis inter incerta et ignota latere et obtegi, et eam nos ignorare, quamvis inviti et ægre oportet, nisi velimus conjecturis hac de re verisimilioribus aliquid tribuere; quas exercitii gratia hic lectori, judicii identidem, et censori

quales, quales exhibeo.

Nemo, ut mihi videtur, inficias ire potest, eandem in nostra provincia, ac in reliqua Italia, quæ ad eorum regnum pertinebat, politicam per Longobardos invasores institutam fuisse; et ut Conventus quotannis ab ipsis totius regni in Roncaliis indici solebat ad publica expedienda negotia, ita illius ad exemplum in singulis Ducatibus (et etiam in Forojuliensi) qui regnum illud componebant, minores Conventus, statis temporibus, indictos fuisse, a verosimili non abhorret. Ad hos, Duce præsidente, omnes illius Ducatus ordines convenisse, nullo personarum delectu habito, mos Longobardorum originarius plane suadet, et formam hanc, et institutum in hac provincia viguisse, constanterque esse existimandum est; neque Francorum mores, et consuetudines in hanc quoque regionem transierunt, unde Colloquio sive Parlamento nostro, prout nunc est, assidentes, et adscriptos decerni et adtribui ex Feudatariis potuerint. An vero a Francorum imperio feudorum concessiones in nostro Forojulio ceperint, ignotum mihi omnino, et incompertum est. Si qui forte sint ex nostris Feudatariis, qui a Francis Imperatoribus Feudorum suorum originem et concessionem arcessant, pro magno munere acceptum referam, magnamque gratiam mecum inibunt, si id mihi, et indubiis monumentis, et diplomatibus proditum non ignorare permiserint. Sed paucissimos tunc fuisse, aut nullos a Francis tunc constitutos in hac provincia feudatarios concessionum diplomata ab illis, et Germanis Imperatoribus inde Patriarchis nostris liberaliter data evincunt; quæ typis vulgata ab historicis nostris, ab Ughellio, & Muratorio, et alii pene omnia omnibus patent; ex ipsis enim nullum adhuc feudum in hac regione constitutum eluitur, cum nulla de Feudo vel Beneficio alicui concesso in ipsis mentio, aut exceptio habeatur, quod quidem fuissent, oportuit, ne quod semel uni concessissent, ad ipsum sine causa, ablatum merenti et jus habenti, alteri concederent. A Patriarcharum igitur Dominio instituto et undecimi sæculi initio a Popone Patriarcha, qui concessio-

nem, et donationem hujus provinciæ omnis, et Ducatus ab Imperatore Conrado II nomine Aquilejensis Ecclesiæ obtinuit, Feuda in Forojulio instituta primitus, et concessa sunt. Quamobrem, ut plures ex his nostris Feudatariis se huc e Germania cum Popone migratos, et ab ipso primum institutos fuisse, asserentes audivi; ita utinam sua primæva diplomata sincera ad fidem eorum verbis conciliandam mihi ostendissent, ut id mihi esset in comperto, quod narrabant; sed veterum monumentorum et chartarum raritas, quæ vel a pertinacibus intestinis bellis quibus inter se nostri sub Patriarchis indesinenter, et pervicaciter digladiabantur, vel a supina negligentia, et ignorantia retroactorum temporibus hac in provincia patrata, res nostras in tenebras adeo obscuras conjecit, et abdidit, ut acerrime dissentientes nunc binæ familiæ ex antiquioribus provinciæ dynastis de Savorniano feudo, vix ad initium sæculi XIII Genealogias suas, certa et ineluctabili veterum chartarum fide testatas producere quiverint; omnibus Forojuliensibus publicis et privatis Tabulariis et Scriniis diligentissime excussis, et curiose admodum pervestigatis. Cum autem in Parlamentum nostrum nulli nunc nisi Feudatarii admittantur, et olim in ipso Feudatariorum major pars convocata fuerit; nec antea Patriarcharum dominium feuda in Forojulio, ut prædictum, in more posita fuerint; nullatenus originem huic Parlamento antiquiorem tribuere possumus ipso Patriarcharum dominio, et propterea non a Francis, aut aliis institutum primitus, aut conditum, sed ab iisdem Patriarchis, a quibus feuda omnia Forojuliensia originem primam habuisse omnes testantur, et creditur, et equidem ea occasione verisimiliter arrepta, et ea consuetudinem manu dante, quæ feudorum Dominos, Parium suorum Curiam, Feudatariorum nempe Concilium, habere voluit. Cum vero ab origine ad feudalia negotia disceptanda hæc instituta fuerit Curia, nec fideliores, aut nobiliores subditi Patriarchis in suo Principatu adessent, iis hac de causa in id Concilium conscriptis ad cætera quoque discutienda usi sunt ita

ut de omnibus, bellum, pacem, et internam politiam spectantibus, hanc consuleret Curiam, et esset Parium feudali Curiæ in Principum suorum Consilium, et quodamodo in Senatum quemdam evasa. Quemadmodum autem et institutionem, et reformationem eam a Patriarchis obtinuit, et perpessa fuit, ita ad nutum, et ~~mutationem quam~~ voluntatem eorumdem prout singulis aliquando libuit, variationem et mutationem quandoque est passa; et deinceps observabo, cum quæ ex chartis quæ ad manus devenerunt, deprehenderim festinabundus proferam; me cum certa et convenientiora de hac re prodierint monumenta, quæ aliud suadeant, de sententia facile decessurum spondens, lubentique animo.

In chartis, quas non paucas vidi, hujus Curiæ decreta continentibus, nunquam vocabulo Parlamenti usos antecessores nostros inveni, sed constanter, perpetuoque Colloquium Generale hanc Curiam, sive Consilium, appellatum animadverti; Curiam autem semel tantum. Locus vero, ubi convenirent, nunquam stabilis, et fixus sub Patriarchis observatur; coacta enim inveniuntur hæc Parlamenta Utini, neque uno in loco, sed in Castro; in Patriarchali Palatio, et in hac vel illa Ecclesia; in Civitate Forijulii, Aquilejæ, Glemonæ et in aliis provinciæ ~~locis~~ frequentioribus oppidis. Ut autem conveniendi locus erat arbitrarius, et ad Patriarchæ nutum, et commodum designandus, et eligendus, ita et Consiliariorum, seu Conscriptorum numerus varius, nec intra eundem Feudatariorum, Prelatorum, et Communitatum numerum et ordinem semper constans, adstrictusque; neque iis tantum feudatariis, qui hæc, vel illa Castra possidebant, assiscus, sed aliis, nunc aliis pro Patriarchæ lubitu tributus, et illis quoque qui extra Feudatariorum ordinem inter nobiles cives et prudentes viros censerentur. Plura enim Castra / vadibus veteris chartis, et sinceris monumentis loquor / quæ dominos suos et possessores Colloquio illi Generali quondam jure suo contribuebant aliquando, ut nunc etiam, ab honore illo sunt destituta; Bujæ, Osopi, Flagoniæ, Pinziani, Vendolii Castrorum, quæ erant domini

quondam, tot in Colloquium Consiliarii procedebant; cum in Savorgnianorum Dominium, et possessionem cum aliis Castris transierunt, unum tantum suffragium ipsorum nomine cumulatim in Colloquii Decretis inlatum est; Zucolę, Creppi-magni, Budrii, Cucaniae, Ortenię, Castelletii Rivarottę, Caristai, Bolzani, Uruspergi, Sumollis, et aliorum Castrorum suffragia, cum sub Patriarchis antiquioribus requirerentur, sub Patriarchis recentioribus, ante Venetum Dominium impositum, evanuere, nec eorum Domini in id amplius convocati sunt; recentiora praetereo. Ad hęc in Colloquio Generali a Pagano Patriarcha Utini anno 1331, 18 Aprilis coacto, quod apographum in meis Mss. cubat ex Protocollis Eusebii de Romagno Notarii et Cancellarii ejusdem Patriarchę, ductum, inter <u>multitudinem</u> <u>copiosam</u> Consiliariorum sex de Cucaneorum gente, de Villaltis bini, totidem de Strassoldis, de Prampergis, et de Budriis, quatuorque de Turriana gente, quę tum inter Feudatarios Forojulienses non recensebatur, convenere. Hęc eadem variatio in alio a Bertrando Patriarcha anno 1336, 24 Novembris itidem Utini celebrato, animadvertitur; et in alio, anno 1352 1 Februarii a Nicolao Patriarcha indicto, plures <u>tam</u> <u>Nobiles</u> <u>quam</u> <u>Populares</u> adstitisse fidem facit Gubertinus de Novate Patriarchalis Cancellarius, et in aliis fortasse, quę mihi videre non contigit. Variationem eandem, et inconstantiam in Taxis, ut vocant, et in Impositionibus Equorum singulis Consiliariis constituendis et decernendis itidem ex chartis agnoscimus, quę fixę et permanentes, ut Venetis dominantibus positum est in more, nunquam sub Patriarchis fuere; inspiciatur Colloquium Generale 1352, 1 Octobris a Nicolao Patriarcha sedente, in Gubertini supralaudatis Protocollis; in eo a Consiliariis per Patriarcham et Colloquium ad id renunciatis, non ad Castros et jurisdictionem habita ratione, sed, ut ejus verbo utar, secundum quod alii <u>depauperati</u> <u>aut</u> <u>ditiores</u> evaserant, vel alias imposita Taxa militaris augebatur vel minuebatur; Colloquium celebratum sub Pagano Patriarcha anno 1327, penultima

Novembris, et sub Bertrando anno 1337, 19 Januarii, et alia idem docent. Eandem diversitatem etiam in nummariis Impositionibus, quoque tempore statuendis, plures chartę, et Colloquia præseferunt, quibus singillatim enunciando Lectorem fatigare supersedeo.

Cum in confessus loco, in numero, et qualitate Conscriptorum, et in taleis et impositionibus cuique decernendis inconstantiam et varietatem perpetuam in Forojuliensi Generali Colloquio aperte novimus, non hanc inconstantiam et variationem ab ipsius origine et institutione primæva, aut a Conscriptorum sententia fluxisse existimare possumus; sed potius a Patriarcharum singulorum lubitu, voluntate, et necessitate processisse pronius et convenientius judicandum est; cum illorum jussu et nomine indiceretur, et convocaretur, et discutiendę in ipso difficultates et negotia enodanda, ut consulerent Consiliarii, quid ipsi foret agendum, ut chartę eadem loquuntur, ab ipso proponerentur. Originem igitur Patriarchis, incrementum, mutationem, variationemque suam Colloquium hoc debet nec auctoritatem, potestatemque aliunde accepisse, quam eodem ex fonte potis fuit; quidquid igitur ab hoc Colloquio actum, decretumque invenimus, id omne a Principe Patriarcha, qui id indicebat, et moderabatur, cui potestas et jus decernendi ab eo tributa erat, actum fuisse, jussum, et statutum existimandum est; non autem ab ipso Colloquio, sive Parlamento sui jure et auctoritate, et potestate, quam noster Anonymus ultra terminos, Patriarchę ipsi super imponens Parlamentum, extollit, et effert.

Hęc quanti maximi potest, et plusquam par est inugens circa publicam et privatam politiam, nonnulla quoque quę veritati historicę manifeste adversantur, interserit; exempli gratia, Magnifici Utinensis Palatii Pretorii, quod vulgo Castrum nuncupatur, immanem substructionem, pecunia, et impensa a Parlamentariis conlata excitatam et perfectam narrat; quod neutiquam veritati est consonum. Ex literis enim a Jacobo Cornelio Locumtenente anno 1517 26 Augusti datis Petro de Asquinis, et Consortibus Saganeę, aperte liquet, tertiam hujus impensę partem et sumptus a Serenissimo

Nostro Veneto Dominio in exedificationem positam; praeterea ex Decreto Consilii Utinensis 1517 29 Martii, in Actis illius Tabularii, Ducatos quingentos tunc ex mera Civitatis liberalitate ad id contributos constat, et hos ultra ejus Civitatis tangentem; ex alio ejusdem Utinensis Consilii Decreto 1523 7 Martii, centum millia coctorum laterum ibidem donata ad illam substructionem ab eadem Utinense Civitate liquet. Immo ex hoc eodem Decreto, et ex alio anni 1521 27 Octobris, pro derelicta ita hanc edificationem habitam deprehendimus, tum propter Castellanorum in sua parte producenda duritiem, tum quia Prelatorum Membrum, ut loquuntur, prestationem, que illius erat imposita ad solvendum nullo modo cogi potuerunt; ut ex Decreto Utinensi ejusdem anni 1523 26 Octobris patet; ut nisi suppetias Utinensis Civitas liberalitate sua, et Serenissimum Dominium, urante quodam Locumtenentis Vicario, et pecuniariis mulctis in id decretis, tulissent, que erant extructa corruissent, et magnifice incepta, quo et aeris inclementia cadente, minime essent confecta. Quapropter non est, cur hujus molis constructione Parlamentarii, et Castellani prefestim glorientur: cum isti simul ad hosce sumptus vix quid observatione dignum singillatim conferre damnati sint; an vero contulerint omnes dubii plurimum ex dictis inest; ex literis enim supramemoratis, et Paganes Consortibus missis, deprehenditur, nisi ad Ducatos tres, duorum annorum in spatio solvendos, Consortes illos omnes obstrictos fuisse: quamvis et Oppidum illud inter Forojuliensia non ignobile sit, et plures in illo Consortio Familie Nobiles conjuncte sint. Et quamvis ab initio novitatis gratia subsidium aliquod, bona verba, promptaque voluntatem ad id Parlamentarii contulerint, res, ut constat, hesit incepta in fundamentis; et nisi Princeps et Civitas Utini ultimam addidissent manum, immo poene operam omnem, et sumptus prestitissent, et Curatores ipsos, prefectosque operi cum omni auctoritate Cives suos, Nicolaum de Monticulis, Petrum Arcolonianum, et Christophorum de Susannis, Utinum ex sui Consilii decreto 1517 30 Julii dedisset, nullum

profecto Palatium, nullum Castrum conspicuremus, sed late patentem ruinisque fœdatam et conspersam aream ægris oculis intueremur.

Deditionem insuper Provinciæ, anno 1420 Veneto Dominio factam, ex Parlamenti Generalis Decreto, auctoritateque peractam asserit; quod a veritate plurimum abest. Nemo enim est nostratium qui nesciat in quantis periculis, devastationibus et afflictionibus provincia nostra versaretur initio sæculi XV, et paucis annis antequam Venetæ protectionis potium felici faustoque omine subiret. Quisque tunc, vel Civitas, vel Oppidum, vel Castrum, in eam vergebat et inclinabat partem, in quam vel necessitate cogente, vel genio, aut voluntate impellente pronus ferebatur; aliqui Venetorum partes saniori consilio amplexati erant, plures Germano Imperatori Roberto, inde Sigismundo erant conjuncti, et pars alia Patriarchæ, ut Principi suo, adhærebant; nullus locus legibus, nullus judicii, et nullus convocandi Generale Parlamentum modus, cum in partes huc, illuque Parlamentarii essent dissipati; omnia vi et armis agebantur; et in rem præsentem intentus sibi quisque moderator et arbiter sensim consulebat; hinc omnes pene Deditiones ad Venetos a singulis sigillatim, suoque jure pactas animadvertimus, non modico temporis tractu inter se distantes. Qui Venetæ ditioni tunc propiores adstabant, Purliliis, tempestivam Deditionem suam anno 1418 25 Septembris pepigere; Austriæ Civitas 1419 11 Julii; Utinum 1420 5 Junii, et deinceps S. Daniel, Glemona, Ventionum, Tulmetium, et Carnea, Aquileja, cæteraque Patriæ Oppida et Castra, unumquodque separatim, et ex se, cum ipsis commodum visum fuit, vel militum Venetorum timore coacta, vel aliorum provincialium exemplum imitata; ut Deditionum Tabulæ singulæ singulorum itidem Feudatariorum certam fidem faciunt. Hæc ad narrata Anonymi de nostra universali historia et politia animadversiones pro loco et tempore satis sint; dum ad circa privatam quædam ejus effata paucula observare festino. —

Comitum de Purliliis, vel, ut habent qui sequioris chartæ, de Porciliis gentem quæ antiqua admodum, et illustris cæterarum nobilium

Castellanorum, et ex ipsis saepius audivi, princeps agmen duxit usque a Liutprando Longobardorum Rege Comitatum Cenetensis Urbis dominasse, hancque Civitatem postea Cenetensibus Episcopis donasse asseruit Anonymus, quo teste, et quibus argumentis ipse viderit, ego quidem haud dubias suo, suorum Castrorum Investituras, ut ajunt, eos accepisse anno 1198 vel 1188 5 Septembris a Patriarcha Gotofredo in qua Comitatus et Cheritum eis conceditur et traditur a Patriarcha per rubeum Vexillum (quod in nulla Castellanorum-Investitura mihi videre contigit) in Porcileis et suo Districtu, et in Brugnera et ejus Districtu; ubi nullum de Cenetensis Urbis Comitatum verbum visitur. Et equidem, ut est apud Ughellum in Episcopis Cenetensibus Tom. 5 Ital. Sacr. edit. Veneti, a Carolo M. ejus Civitatis et Districtus dominium Episcopo Cenetensi conceditur Diplomate anni 794. Confirmaturque etiam, et augetur ab aliis successoribus Imperatoribus, et praesertim a Friderico I, qui Diplomate dato apud Montem-Silicis II Idus Novembris anni 1184 cum Episcopum sub ejus mundis excepit, ab omni subjectione, quam Tarvisii Civitas in Ceneta Urbe seu Castro praetendebat, illum eximens, et immunem dicens. Viguere enim diu et usque ad saeculi XIII initium vigebant Tarvisinorum contentiones, et cujusdam juris et dominii praetentiones, quas in Ceneta et Coneliano habere se asserebant; nec vi et armis abstinuere ut jus suum persequerentur. Praeterea ante annum 1307 6 Aprilis, et eo anno Rizardus de Camino erat Cenetae Comes, et invasione intercedente, aliarum urbium Dominus, ut ex charta ejus diei et anni a Georgio Pilonio in Hist. Bellunen. lib. 4, pag. 136 edita, evincitur; unde quid juris inibi esset Porciliis, quod in Episcopum memorata donatione transferre possent, nullus video.

Identidem de Comitibus Polcenici, cum eos Ottonis I aetate Ecclesiae Bellunensis Advocatos profert, veri nequaquam similia obtrudere videtur noster Anonymus. constat enim gentem Polcenici Comitum illud feudum ab Ecclesia et Episcopo Bellunensi primitus accepisse, cum ejus Ecclesiae et Episcopatus in ditione Castrum illud cum

Tanne Castrum positum fuisset; cum autem Erimannus Bellunensis Episcopus Diplomate anni 1031 apud cit. Ughell. in Episcopis Bellun. ab Imperatore Cuonrado II id tantum obtinuerit, Polcenica Gens non solum Advocatiae Bellunensis praerogativa insigniri tot annis antea non poterat, sed neque appellationem aut cognomentum ab illo Castro, cum illi non dominarentur, habere poterat; non enim antequam proprium id Ecclesiae Bellunensi a Cuonrado adjudicaretur, Episcopus ipsum alicui in feudum conferre poterat. Sed aliam gentem dignitate Advocatiae Ecclesiae Bellunensis fuisse donatam antiquis quoque saeculis innuere videtur Investitura 1517 11 Novembris, adlata a Pilonio in Bellunen. Hist. lib. 3, pag. 114, qua a Galeso de Nichesolis Bellunen. Episcopo Sertorio et fratribus de Collalto Tarvisii Comitibus instauratur, et redintegratur Advocatia, et feudum Advocatiae Episcopatus ejusdem, quam, et quod Antecessores eorum ad iisdem Episcopio habuerunt et recognoverunt. Probanda igitur, et certius testanda Polcenicae Gentis haec Advocatia, non nuda magistrali assertione producenda est, ut credentes invenire possit.

Cucaneos inde originem ducere, et ejusdem esse stemmatis cum Comitibus de Aursperch, Carnioliae proceribus, affirmat Anonymus. Haec quidem Investiturae, quam iidem Cucaneae Domini ad suam confirmandam antiquam nobilitatem, et feudalia jura apud Feudorum Officium Utinense Veneti Principis centum et amplius ab hinc annis protulerant, omnino adversantur; in hac enim Pepo Patriarcha Odorico Militi Cucaneorum quondam Schinellae Militis de Aubech, vel Aimbech Districtus Carinthiae, ~~[illegible]~~ ut Turrim vel Fortilitium in defensionem et tutamen Villae de Faedis excitare possit, liberaliter permisit; quocirca, non a Comitibus de Aursperch Carniolis, sed de Carinthiis Aubechiis Cucanei. Hujus concessionis et Investiturae ideo mentionem feci, quia cum ab ipsis Cucaneae Dominis sit edita, eorum verbis et assensu quidquid loquatur, loqui et affirmare videtur; non quod eam, prout est edita, legitimam et sincerae fidei existimem; falsitates etenim et impostura scatet

undique, et exundat charta hæc. Unum pro cunctis expendam; Data dicitur et concessa a Popone, sed anno 1005, quo Joannes erat Patriarcha, qui per decennium et amplius exinde sedit; nec Poponem successorem habere potuit ante annum 1016, quo decessit.

Colloretos hic incolas cum Cuonrado II Imperatore anno 1025 e Suevia migrasse, credere cum nostro Anonymo non renuo; dummodo tamen contra Hermannum Contractum et omnes Chronographos Cuonradum eo anno Italiam petiisse mihi certis monumentis probet; quod nullatenus mihi persuasum esse poterit, cum juxta monumentorum omnium et historiæ fidem nisi anno 1026 Rege filio suo Heinrico in Germania constituto, Romani Imperii coronam a Joanne XX recepturus progressus sit. Quod vero ejusdem cum Dominis Valsee originis sint, ab Anonymo probandum quoque arbitror, et ab ipsis Comitibus de Colloreto corrigendaque est Notitia illa, sive Historiola, quæ Ms.^to de Nobilitate et Origine hujus Gentis, italico sermone conscripta circumfertur, quamvis a Cyro de Pers Equite Hierosolimitano compilata, subscriptaque, et firmata ejus sigillo et nomine fuerit; aut Vuolfangus Lazius de Migratione Gentium lib. VIII De Suevis, in Genealogia Dominorum a Valsee corrigendus est, qui Henricum illum quem Notitia Colloretea Liabordi fratrem nuncupat, quique in Suevia Beneficio Dapiferorum a Vualdburg prædia possidebant, Eberhardi illius patrem asserit, qui Alberto I Austriaco Rudolphi Imperatoris filio nutricius fuit constitutus. Si enim, ut Notitia affirmat, Liabordus anno 1025 in hanc nostram provinciam profectus est, Melsi Vicecomes mox futurus, et Heinricus ejus frater, et pater Eberhardi, ut vult Lazius, qui Alberto Austriaco adstitit, labente sæculo XIII, inter patrem et filium tria pene sæcula intercessisse dicendum est; quod quam immane monstrum sit, omnes norunt. Vualsee villulam a paucis rusticis cultam, non longe ab Augusta Vindelicorum adhuc

extare, affirmavere mihi mercatores quidam Alemanni et Itali, qui illac sæpe Augustam petentes pertransiere; an hinc Domini a Valsee primitus eruperint divinandum aliis relinquo.

Quod Savorniani Patricii Veneti, ut affirmat Anonymus, cum aliis Savornianis a Vexillo Nobilibus Forojuliensibus ejusdem originis et stemmatis sint, dum sub judice lis est; tunc certi quid de hac re decernere potero, cum Venetus Princeps litem, quæ inter hos, et illos de possessione Castri Savorniani a non paucis annis viget, sapientia sua sententia lata dirimet; non enim tantum mihi arrogo, ut tantos componere motus, et judicare lites tantillus præsumam.

Ab Antonio Patriarcha et Cardinali Pancerino extructum Zoppolæ Castrum, sive Arcem fuisse, ob idque Dominis illis Patriarchæ successoribus, et heredibus locum factum in Generali Parlamento, Anonymus ait, et etiam in re non admodum antiqua unam fallaciam deprehendimus. Adsunt enim in Protocollis Joannis q.m Francisci de Portugruario, Notarii, et Dicti Patriarchæ Cancellarii, vulgo Joannis Cechi appellati, bina publica documenta anni 1405, alterum diei XI Novembris, alterum diei XV ejusdem mensis; quibus Nicolaus, Natalis, et Franceschinus fratres de Pancerüs de Portugruario, cum voluntate et consensu Patriarchæ Antonii numerata pecunia emunt in primo documento a Rizzardo et aliis Nobilibus de Valvasono medietatem Turris et Castri Zoppolæ cum Dominii, Garriti, et aliorum jurium medietate, quam Valvasoni prius anno 1399 emerant a Joannino de Ragonea, sive de Turri; in altero autem documento aliam ejusdem Turris, Castri, Garriti, et jurium medietatem Dicti fratres Pancerini a Francisco de Prodolono, itidem numerata pecunia comparavere.

Sed quid singulis memorando tempus tero, gratis asserit, nec unquam probare quis poterit, veris sinceris que documentis et historiis, Strassoldiorum protoparentem Germanum patria fuisse, et ex Imperatoris Justiniani exercitus Ductoribus; qui demum de Imperatore be-

neminitas huic ab ipso potius in exilium fuerit trusus, quam virtutis ergo possessione aliqua, vel feudo Forojuliensi donatus incolatum professus fuerit; Castellios, qui Frangipanes quoque appellantur, una cum Caporiacis, Villalteis, et Furriis, qui consanguinei, et ejusdem stirpis prædicantur, eandem habere originem cum Frangipaniis, et Veggiæ Corbaviæque Comitibus; Manzanios a Comitibus Ilsungiis Augustanis (Anonymus perperam Ilsvingis aut Witelspachiis) de quibus Laz. loc. cit. lib. VII dubitat, an sit ejusdem stirpis) ortum suum duxere; Varmeos denique Ravenna huc translatos fuisse e S. Martyris Eustachii gente, Felice ejus nepote ex filio Agapito itidem Martyre intercedente, cujus pronepos quoque Agapitus genus suum in Forumjulii transduxerit cum infulas Aquilejenses excepturus huc migraverit, reclamantibus nostrorum Aquilejensium Antistitum Chronicis, quæ nihil præter nomen hujus Agapiti nobis ex sacris Dipticis servarunt, illius genere et patria et gestis silentio obvolutis, et contradicentibus sanioribus Criticis, qui Acta S. Eustachii et Gesta non inter genuina et sincera recensent. Quod vero Varmei isti Varmi Castra e nihilo excitaverint, ab ipsis nuncupationem sumpturi, et S. Danielis Castrum, nunc omnino terræ equatum, similiter ædificaverint, fabella est anilis ut alia præcantata; Varmei enim semper in Habitantiam, seu mavis in feudum Habitantiæ, a Patriarchis Castrum S. Danielis (quod in antiqua concessione <u>Gironum et Fortalitium</u> appellatum est) cum aliis immobilibus, sine tamen jurisdictione aut garito, recognoverunt, et usque nunc recognoscunt; primitusque iis videtur concessum Diplomate 1204 III Idus Julii, anno Pontificatus sui XII a Pelegrino II Patriarcha, cujus transumptum manu Nicolussii Pucini Not. Glemonensis vidi; non igitur hoc Castrum Varmei exædificaverunt, sed jam constructum, et Patriarcharum in Dominio et potestate positum ab iotis ad habitandum et fruendum iidem acceperunt.

At satis superque invitus in hisce tricis versatus sum, nec plura discutere vacat; mihi enim videre videor, si quis in hæc lectioni

invidant, odio, invidiaque, aut partium studio saltem ad hæc scribenda impulsum fuisse criminaturos, lippisque oculis me intuituros, ægerrimeque laturos, quod non vera exploserim, et dubiorum probationem requisiverim; quasi antiquæ eorum, et a pluribus sæculis repetitæ nobilitatis insectator, et hostis. Sed quod scripturus ab initio me curaturum recepi, religiose me servasse, et servaturum intelligant, et a me injuria accusando recessent, si sapienti consilio et cum recta ratione conjuncta prudentia sint præditi. Veram habent, antiquam, probatamque nobilitatem, quid opus est illis hujuscemodi fabellis, commentitiisque adinventionibus, ut eam falsis, et aliunde exquisitis non convenientibus adminiculis fædent, corrumpantque; qui enim hæc in eorum genealogiis externi, nec veritatis conscii offenderint, cum ea conficta, et erronea compererint, omnia ejusdem farinæ, immo furfuris esse existimabunt; et quod in pecorum grege naturales præcinuere, id illis tunc facile eventurum suspicor. Idcirco si probandas postulo Anonymi nostri assertiones quasdam, longinquas admodum, et in barbari et ferrei ævi tenebras involutas res proferentes, nobilium illorum causam apud nostri sæculi Criticos ago. Quis enim sæculo isti oculatiori, nisi rationibus certis testata proferat, imponere poterit, Imperatorem Justinianum Duces exercitus Germano usum fuisse, aut in bello Persico, aut Vandalico, aut Gothico, cum e Romanis, Græcis scilicet suis, ductos omnes narrat Procopius; Belisarium, Vitalianum, Germanum suum ex fratre nepotem, Joannem Vitaliani ex fratre nepotem et Germani ipsius generum, Narsetem denique, et alios Cosmopoli missos Græcos? Præterea quomodo Dux iste Justinianeus Strassoldiorum Patriarcha, in hac provincia locum habitandi, et munitionem aut Castrum construendi commodum et potestatem a Justiniano habere potuit, si regio nostra hæc Veneta omnis, maritimis quibusdam oppidis exceptis, cum antea Gothis, tunc Romanorum parebat imperio, totaque Belli Gothici tempore, et exinde etiam paruit, ut Procop. lib. III.

cap. 33, lib IV cap. 24 et 33, ita ut Narseti cum exercitu e Dalmatia Italiam terrestri itinere hæc petenti, Francis invitis et obsistentibus, per agrum Venetum transire non licuerit, id lib. IV cap. 26. Quis fidem habere poterit narranti, Comites Veggiæ et Cersatii, Ilsungos et Weitelspachenses Comites, aliosque Germanos proceres, qui seculo quoque X in patria sua principem tenebant locum, potentesque habebantur, et erant, hanc regionem non amplam, nec urbibus, oppidis aut castris frequentem, immo desertam plane, et sylvis, solitudineque tunc occupatam; quæ exulibus et miseris aptum fuisset tantummodo et idoneum confugium, pedisequos Poponis Antistis Aquilejensis, qui nullam tunc, aut modicam jurisdictionem aut dominium hic habebat, tamquam in famulatum Clericos additos. petiisse? Stroiavacas præterea, qui cum nulla Francorum Colonia in Forumjulium pervaserit, ut memoravi, aliunde originem exspiscare et quærere opus habent. Cæterosque item gregatim missos facio; qui cum reconditæ longinquæ originis Arianæ superbæ et impudenter affectent, appetantque, vel sibi nobilitatem et dignitatem antiquam deesse, cum hanc adsiscere curant, demonstrant, vel nihili eam pendere, qua gaudent, palam hujusmodi faciunt.

Reliquum est, ut Anonymi nostri de jurisdictione Nobilibus Forojuliensibus hærente, assertionem cursim et leviter expendamus, ut modus deinde, et finis tandem sit huic nostræ scriptioni. Ait ille a Veneto Principe Investituris, ut vocant, illorum Feudum his verbis decorari = Feudum rectum, legale, nobile, gentile, antiquissimum, meri et mixti imperii, idest jurisdictionis Civilis et Criminalis, cum potestate sanguinis et ultimi supplicii. = Mirum? cum usque adhuc, et per totum hujus Notitiæ textum Anonymus nil, nisi antiquitatem remotiorem nostris Feudatariis adtribuerit, et illustrem ordinem ab hac commendare, et in Cælum efferre studuerit; hic vero, cum de feudi qualitate et natura agitur, unde in possessores clarior nobilitas et dignitas transfunditur et redundat, antiquissimis prætermissis, ad recentiora confugit, hæcque iis

ommissio, curiose persequitur. Antiqua illa fortasse Anonymi proposito adversabantur, aut convenientia non erant? Non, ut existimo. Quod ille brevitatis forte gratia, prætermisit, brevi manu attingere in animo est, ut et hanc notitiam lectori proferam, quam ille pro nihilo duxit, vel pro derelicto habuit, sed serum narratione altius petita, in idque scopum ita comparata et directa, ut exinde legentibus innotescat, qua via, quibusve adminiculis ad illam verborum novam formulam, quam et Anonymo superius protuli, in Investituris Venetis perventum sit.
Anonymus noster tres tantum Feudatariorum species, ex his qui Parlamento adesse solent, recenset, Prælatos, Communitates, et Nobiles Castellanos. Et equidem cum veritate, si prout nunc res sunt, narrationem instituere velimus. Sed antequam suave Venetum jugum, Deo propitio, subiremus, in sua specie Prælatis et Communitatibus manentibus in unum unica nuncupatione notati non coalebant Nobiles, sed alii erant, et appellabantur Nobiles Liberi, alii Ministeriales, alii Habitatores, iisque appellationibus Feudatarii Forojulienses tum distinguebantur, tum in Parlamentis, sive Colloquiis Generalibus, tum in Encyclicis Epistolis quibus a Patriarcha, et ad idem Colloquium ciebantur, et cum militaris Conventus, sive ad Monstras, ut ajunt, Generales, convocatio indicebatur, usi perpetuo sunt Patriarchæ. Plures adhuc exstant, et Parlamentorum Notitiæ, et Encyclicæ Epistolæ quæ morem hunc et distinctionem palam faciunt; et insuper agnovimus Colloquia quæ in deligendis et creandis Consiliariis / quos nunc vulgo Deputatos appellamus / hanc distinctionem religiose servata perhibent, cum binos Consiliarios pro Prælatis, binos pro Liberis, pro Communitatibus quatuor, et pro Ministerialibus octo renunciatos memorant; et quo non nomine aut verbo tenus hanc distinctionem in usu positam fuisse, sed re et natura speciegue feudorum inter se varia exigente id factitatum fuisse comperimus. Enimvero Lucifer ille Aquilejensis, quem Odoricus Susannius, trium Patriarcharum Ludovici, Marquardi, et Philippi perpetuus Cancellarius, virque, si quis unquam, politiæ nostræ et legum, consuetudinum=

que scientissimus, anno 1386, jussu Philippi ejusdem Cardinalis et Patriarchae pro rerum Forojuliensium, et jurium Patriarchalium Breviario Patriarchae ipsi offerendo, conscripsit, quique in hac Collectione ex Vicautographo manu mea descriptus legitur (pag. 105.) Lucifer ille inquam, distinctionem veram, realemque differentiam feuda hec inter aperte docet, quae quidem nunc non tam manifeste innotesceret ni ab ipso rem pre oculis positam haesissemus. Ait enim: Nobiles de Prata et Porcileis vocantur Comites et Liberi, tamen sunt Vassalli supradictae Ecclesiae Aquilejensis, et Comitatum eorum sunt feudum Ecclesiae Aquilejensis. « Eos autem Vassallos Liberos esse, ajunt Feudistae, quando nullum servitium debent, fidelitate excepta; inter Forojulienses autem Feudatarios nullum, nec antiquioribus temporibus, invenimus, qui dignitate Comitis et prerogativa libertatis gauderet, nisi Porcileos solos et Pratenses. Et quamvis ab eodem Susannio, antichissimo evo, Castellios, Strassoldios, Villaltos, Castellerios, et Caporiacos Liberos tantum, et de genere Liberorum vocatos accepimus, eos tamen, ut ipse ait, quia per matrimonialem copulam nati sunt de genere Ministerialium vocari affirmat, non amplius Liberos. Hos vero de Liberis in Ministeriales evasisse ante annum 1318 Nomenclatura Parlamentariorum manu Gabrielis q. Henrighini de Cremona, Cancellarii Pagani Patriarchae, nos monet.

Ministerialium preterea, qui preter fidelitatem, militareque servitium ob aliud aliquod obsequium, et ministerium Patriarchae, sive Principatus erant obnoxii, catervam duxisse, ait Susannius = Cucaneos, qui vocantur Camerarii; et tenentur custodire Cameram Patriarchalem, potissime vacationis tempore, cum pertinentibus ad eandem Cameram; Spilimbergios, qui dicuntur Pincernae vel Canparii, et habent custodire Caniparm cum pertinentibus ut supra; Tricaneos et Murutios, qui vocantur Marescalchi, et habent custodire Stabulum Patriarchale equorum, vacationis tempore ut supra; et Prampergios, qui vocantur Magistri Coquinae Patriarchalis, et habent vel debent custodire Coquinam ut supra. Cujusmodi

vero aliorum Ministerialium fuerint obsequia, vel servitia Patriarchis pro suis Feudis prestanda, facile erit deprehendere, cum hec principalium et potiorum, ut Susannii verbis utar Ministerialium munera fuerint. Ceterum, ut de hoc, occasione ablata, non sileam, cum hec horum Ministerialium ex certo, veridicoque testimonio officia agnoverimus; nihilominus Anonymus noster, ut verbis saltem horum Ministeriorum dignitatem amplificet, Cucanios Camerarii Ereditarii nuncupat; Spilimbergios Pincerni Ereditarii; et Ramepergiis Dapiferi Ereditarii del Ducato del Friuli appellat; quod quam apte cum narratis a Susannio, et cum rei veritate conveniant, judicent alii, et hii presertim, qui ab eodem Anonymo hac eadem in Notititia didicerint; tunc cum Romam Patriarcha Bertoldus profectus est, Pontificis mensa magnifice excepto Patriarche, ex suorum feudorum sibi a Patriarchis Aquil. concessorum honorario munere Austrie et Carinthie Duces Dapiferos adstitisse, et Regem Bohemie Primislaum ex sibi pro suis feudis injuncte officio, ibidem Pincernam Patriarchatus Aquilejensis egisse.

Sed ad Feudatarios Habitatores convertatur oratio; de his hec Susannius = Sunt etiam certi Nobiles vocati de genere Habitatorum, scilicet illi de S. Daniele, de Attems, de Manzano, de Maniaco, de Faganea, de Pinzano, de la Frattina &c, qui recognoscunt, seu recognoscere debent Castra, seu Fortilitia et plura bona jure Habitantie, seu Feudi Habitantie, ab Ecclesia Aquilejensi. In Castro S. Viti, Utini, et aliis locis, et Medune sunt certi Habitatores, qui domos, mansos, et bona plurima, et diversa jure Habitantie, seu Feud. Habitantie ab Ecclesia Aquilejensi recognoscunt, et recognoscere debent. = Ex hisce constat tertium feudi, improprie sumpti, genus fuisse illud Habitantie, cum enim antiqui Forojulienses a Patriarchis Castra acceperint, et domos cum agris ad habitandum, custodie scilicet et guardie, ut loquuntur, gratia, ut ab ipso vocabuli vera et genuina significatione aperte demonstratur. Inde cum fidelia servitia ab istis Habitatoribus Ecclesie Aquilejensis et Patriarchis exhiberentur, conces=

sis in Feudum iisdem Habitantiis gratiam eis intulerunt, ut S. Da-
nielis Habitatoribus anno 1204 Pelegrino Patriarcha concedente, con-
tigit, illud enim Castrum quod antea, ut Habitatoribus incolebant,
jure feudi Aquilejensis Ecclesię illo anno eis collatum fuit

His de Feudorum generibus, et de eorum qualitate, et diversitate pro-
libatis, cum inter illa patens et manifesta noscatur differentia, non
in muneribus et servitiis solum prestandis, sed in gradu majoris vel
minoris prerogativę et privilegii, libertatis scilicet, et ministerii atque
officii, non parum me afficit, et mirari plurimum subit, quomodo,
aut qua de causa, in unum nunc omnia coaluerint, omni inter
ea quondam posita, et religiose servata discretione seposita et ab-
legata, omnes enim, quotquot sunt Forojulienses Feudatarii, ad
hanc diem uno nomine et vocabulo Nobilium Castellanorum
designantur, hac nomenclatura tantum censentur omnes tam Li-
beri et Ministeriales, quam Habitatores, eoque et convocantur, et
locum in Colloquio sive Parlamento cum suffragio obtinent. Sed muta-
tio hęc et metamorphosis, Principis Nostri Clementissimi fortasse
voluntati et placito tribuenda videtur, tum ut sponte deditis ho-
noris augmentum aliquod beneficii et gratię titulo adjungeretur,
tum ut fastidium et tędium in tot discernendis feudorum speciebus,
et in suis cuique pro dignitate locis, et compellationibus decernen-
dis, a Venetis Rectoribus vitaretur, quorum quotidie aures ab as-
siduis ipsorum querelis, ut in suo vocabulorum et jurium posses-
sione manutenerentur, obtundi facile posse animadvertebant.

Atque eadem equidem de causa, diversitatem et differentiam verborum
antiquam et feudorum species quasque demonstrantem Principem
nostrum ab Investituris sustulisse existimandum est, ut quos
nomine et appellatione conjunxerat, re quoque dignitate et
feudali ordine copularet. Hinc sensim, omnibus pene ejuratis
antiquis speciebus, et verbis Investiturarum Patriarchalium, qui-
bus Liberi a Ministerialibus, et utrique ab Habitatoribus se-
jungebantur, omnes feuda sua jure recti et legalis Feudi ex a

Veneto Principe excipiebant. Et cum antiquiori ævo per Vexillum, per Fimbriam Tunicæ, Vestimenti, vel Guarnachiæ seu Clamydis, per Corrigiam, per Anulum, per Capucium, per Tactum Manus ex juxta Feudi naturam, et speciem Feuda solemniter traderentur; per Anulum tantum exinde a Venetis indistincte et perpetuo omnia sunt tradita. Sed cum in hisce verborum plerumque et nominum mutationibus et conversionibus publicam veneremur sapientiam, et ipsa Principis prudentissima; illis tamen, qui ejus benignitate et facilitate, atque in beneficiis ultro conferendis humanitate sunt abusi ita, ut tanta magnanima comitate honorati, temere ausu et conatu proprio adducti lege transcendere, et res et verbis speciosora et nobiliora appetere, et occupare non sint veriti, connivere aut adulari nec sani nec prudentis consilii existimandum est. Et quamvis ab initio tam Principem subrepta, tempore succedente ab eodem, majoribus implicito negotiis, (Bello Cameracensi) nec de re certiore facto, neglecta, tandem etiam Decreto per speciem ab ipso confirmata, laudari et probari nequeunt; cum præsertim Princeps idem re perspecta, et in cognitionem revocata, alterius legis virtute rem sustulerit, verborum phaleris et apparatu ad speciem in eodem statu dimissis. Qui invasionem et usurpationem meri et mixti imperii a feudatariis clandestine patratam in Investituris, et contentiones, controversiasque, quæ inmortales vigent adhuc inter Urbem Utinensem et Feudatarios, propterea obortas sæculo elapso in memoriam revocarint, norint profecto et animadvertent, quorsum supra prælata verba colliment; intelligentque Principis Decreto, re incomperta anno 1636 emisso, et meri mixtique imperii usurpationem hanc facto quodam impellente, probanti me nec recte posse, nec jure debere acquiescere; cum præsertim alia condita lege idem Princeps postea prudentissimo consilio caverit omnia homicidia Supremo Decemvirum Magistratui judicanda, nulla omnino potestate aut jurisdictione in hisce casibus alicui reservata, quod potiorem hujus præcepti

imperii partem et nobiliorem, Feudatariis antea concessa, inanem effficacemque reddidit, et verbo tenus possidere permisit.

Cum autem in his verbis Diplomatis fuis vix binis ad hic seculis insertis, aut infarsis, plurimum, ut ex nostro Anonymo, se jactent, et glorientur, quasi prerogativa a primordiis suarum Dynastiarum ipsis debita, et aliquando (cum fusdeque res Forojuliensium, bellis civilibus intercedentibus, essent in maxima confusione perturbatæ, nec legibus, aut juri locus usquequaque daretur ullus), de facto abrepta, et in usu et in more posita, non abs re mihi visum fuit brevi manu et cursim disquirere an jus hoc et imperium ipsis ab origine suorum feudorum competat, omnimodamque jurisdictionem, quam sibi ex feudorum suorum natura derivatam pretendunt, jure ipsis datam, et contributam fuisse; hoque rationibus et factis prolatis, quæ nunquam antea in lucem prodiere, nec judicium in illud anni 1636 producta ad aures Principis pervenere.

Quam antiquioribus temporibus jurisdictionem Feudatarii Forojulienses in suis feudis exercuerint, et an ea privativa, ut Doctores loquuntur, aut cumulativa, sive una cum aliis ipsi sint, ex illorum Investituris vetustioribus deprehendere, aut docere nequimus; ea enim raritas illarum Chartarum est in Patria, vel casibus, vel consulto absumptarum, ut inter Tabularia pleraque privata, publica curiosissime perscrutanti nullam omnino autographam, aut apographam autenticam ex hisce cartis videre contigerit, quæ ante annum ducentesimum supra millesimum scripta fuerit, paucasque admodum apographas, autographas nullas, quæ trecentesimum supra millesimum antevertèrint. Nihilominus quamvis hæc primæva diplomata absint, quæ procul dubio veritatem nobis prodidissent, ex iis tamen autographis quæ ea post seculo exarata adhuc extant, quam exquirimus jurisdictionem, et mores in judiciis, et jus servatum exspiscare conabor; ex consequentibus enim, quid in antecedentibus actitatum fuerit, facile dijudicabimus, et nobis planum apertumque fiet.

(Mos Longob. inserendo.) Mos erat antiquus et consuetudo inoleverat, circa medium sæculum XIII inveterata in Provincia Forijulii, quod in judiciis quæ a Mareschallo, Vicario in temporalibus, et ab aliis minoribus Officialibus, ut appellabant, Patriarchalibus et jusdicentibus agerentur, non ab ipsis jusdicentibus, et pro tribunali sedentibus questiones et controversiæ disceptarentur, sed ab Adstantibus, vel tribunal circumstantibus ipsi peterent quid de jure ea in causa esset pronunciandum, illudque judicium, quod ab iisdem Adstantibus decernebatur, id ipsum jusdicentes pronunciarent, et executioni debitæ demandarent. Hanc consuetudinem, utpote contra omnem juris legitimam formam, et contra Canonica instituta inductam, cum Patriarcha noster Marquardus animadverteret, ad subvertendam rectam judiciorum rationem et justitiam tendentem, Urbanum V Pontificem convenit, petiitque ab eo, hunc abusum potius, quam consuetudinem ipsius sanctione aboleri, et antiquari; quod quidem obtinuit Marquardo ipsi Literis Apostolicis missis, quas datas anno V. sui Pontificatus Viterbii, anno scilicet 1364, ex Regesto Vaticano edidit Ughel. Ital. Sacr. Tom. V ad dictum Patriarcham. Sed hujus consuetudinis vis, et inclitus apud nostrates mos, inefficaces, et nullius vigoris Pontificias literas reddidit; quod enim antiquitus servatum constanter fuerat, mutari, quamvis in melius, potis non duit; reluctante præsertim populari multitudine qui jure suo se spoliatam pontificiis his sanctionibus existimabat. Ab antiquo enim, populis, et cujusque loci vel oppidi incolis jus quesitum videbatur, ut in jurisdictione potestatem, aut potestatis partem haberent, hac consuetudine vigente; nec quem ex suis judicio alterius subesse debere, quam ejus corporis sive universitatis, quæ eo, ut præfatum est more jus suum persequebatur, et exercebat. Is moris forte et consuetudo a Romanis in Conventibus servata, barbara commixtione corrupta, ad hæc usque tempora pervenerat, cum enim Romani Magistratus et Rectores Provinciarum in Conventibus, quos suos in principiis agebant, judices ad lites dirimendas privatorum ex ipsis Conventibus darent, exhinc barbari Romanorum hunc morem barbare induentes circumstan-

tibus, convenientibus nempe ad judicium, potestatem hanc et jurisdictionem debitam credidere; cumque non alii plerumque judiciis locorum adessent, quam qui loci illius indigenæ convenirent, omnibus loci illius incolis, universitati scilicet, jurisditionis partem hanc tributam voluere.

Hinc quoque, ut mihi videtur, post Romani Imperii occasum Civitates omnes ex Conventuum istorum consuetudine in suo districtu, sive Territorio jurisdictionem et imperium sibi arripuere, quod Imperatoribus Romanis trans Alpes migratis, et ibidem sedem suam permanentem figentibus, Italiæ Civitates autonomæ, et quasi nullius imperio obnoxiæ, pacem et bellum nutu suo decernentes, per sæcula exercuere. Unde oppida minora et vici imitationis ergo, et eodem jure in suos incolas jurisditionem similem sibi adiunxere, vel urbium suarum universitati et Curiæ, vel novorum Dominorum imperio subjectam quod in disceptandis eorum judiciis et sententiis, cum provocarentur vel appellarentur, præsertim versabatur.

Invalide ideo, et inutile memoratæ Pontificiæ literæ ad hanc tollendam consuetudinem evasere, obstinatique locorum Universitates, quasi jus suum tuentes, pristinam illaudabilem consuetudinem in judiciis tenuere; firmatam immo iterum voluere Decreto ab Antonio Patriarcha impetrato anno 1390. 26 Aprilis, quo cautum fuit, ut circa Tribunal stantibus prerogativa hæc lites dirimendi religiose a judicantibus servaretur. Decreto tamen hujusmodi, mos hic, qui natura sua illegitimus et pessimi effectus, contraque rectam justitiam videbatur, legitimam, aut in bonum et rectum converti non poterat, quamvis antiquissimæ prescriptionis munimine vallatus; malo huic tandem remedium erat adhibendum, quale tamen jus universitatibus locorum a tanto tempore quæsitum et firmatum pateretur, nec ipse, ea propter jurisdictione in suos privarentur. Quod antiqui nostri adamussim præstitere, mutuo consensu interveniente, decernendo, ut a locorum corporibus sive Communibus tot jurati judices ex suis quotannis renuntiarent, qui judiciis ordinariis inter suos præessent, jusque ipsi tantum

nec a circumstantibus quid juris petito, dicerent, hoc tamen adjecto, quod in locis qui immediate Principi nostro subessent, inter hos juratos judices speculabundus et inspector ipsius Vicegerens / Capitanei vel Gastaldionis appellatione / sederet, sententiasque et judicia, quę jurati judices decernerent et pronunciarent, executioni debitę demandaret; in aliquis vero locis, ubi Feudorum Domini jurisdictionem obtinerent, ipsi cum juratis, vel eorum Vicegerens aut Decanus, sederent, idem munus et officium, quod Capitanei Principis, impleturi. Hinc jurisdictio, quę erat omnino cumulativa inter Capitaneos Principis et Feudorum Dominos, et locorum universitates / quod enim hę populis suis dicebant jus, id ab illis, ut effectum suum obtineret, et executioni demandaretur, curabatur / divisa fuit, et iniquę jurisdictionis pars tributa infirmius universitatum, vel Communium antiquum jus fecit, cum dominorum auctoritati, et potestati superiori obnoxium redditum fuerit; hincque evenit, ut in dies jus hoc universitatum infirmiorem conditionem pateretur a potentium Dominorum auctoritate labefactatus, contra quos, villicis universitates componentibus, eorum, vel subjectione, vel constitutione despicabili, et nullo negotio opprimenda cogente hisce ..... tandem ausę non fuere, omnia Dominorum arbitrio permittentes, seque suaque omnia ereptoris posternentes.

Antiqua Universitatum jurisdictio per Circumstantes tribunal in Judiciis exercita, satis superque a supra laudatis Pontificiis litteris, et Patriarchali sanctione, manifesteque probatur, et evincitur; et mos hic et consuetudo in judiciis Forojuliensibus servata ad initium usque XV. sęculi plane constat ita, ut clarioribus et firmioribus argumentis opus non esse pro comperto sit. Quę postmodum, prędicta divisione secuta, jurisdictio apud Universitates / antiquę argumentum et sequela / remanserit, et fuerit in usu, ex Actis autographis judiciariis depromere curabo, ut hęc quoque nostro proposito testata, ut illa, et probationibus inelluctabilibus vallata in medium secura procedat. Inter meos Ms. Codices adest Autographus notatus n.° Acta Judiciaria inscriptus, qui hisce actis manu Nicolai Notarii de Tricesimo totus est refertus, quę, ipse in pluribus Vicorum et

judiciis rogatus quondam excepit. In hoc Codice, qui ab anno 1467 ad annum 1492 scriptus est, Acta non solum continentur Judicii et Juratorum Buje, Tricesimi, Raspani, et aliorum, penes quorum Universitates adhuc manet et servatur antiqua ea seculi XV memorata judiciorum forma; nec tantum pacifice, et sine controversia ad hanc diem perducta, ut ea Raspani et Tricesimi, et aliquorum, quos subdam, locorum, vel per contentiones maximas, et lites immortales ab Universitatibus adversus Dominorum Jusdicentium auctoritatem et potentiam a Principio justitiae et legum, sectique vi tutata et servata; sed etiam earum universitatum et vicorum qui eam jurisdictionem pusillanimitate et pecuniae inopia cogentibus, amiserunt, nec illius juris in ipsis aliquid ad hanc diem restat; aut si quibusdam aliquid remanet, vix jurisdictionis illius antiquae umbram aut signum retinent, eo et jure a potentibus Dominis sublato, et suae jurisdictionis parti adjuncto. Ex hoc eodem Nicolai Codice jurisdictionem a Communa Raspani habemus sine controversia exercitam, et eodem in statu pacifice atque nunc retentam, et Tricesimi; quae ambae universitates cum seculo XV labente sua fungerentur in litibus dirimendis jurisdictione per Juratos suos, qui sententiam tam in Civili ~~causa~~ de quantacumque controversia, et in Criminali pronunciabant soli, inspectante tantum, et sedente, nihilque decernente Raspani Potestate sive Decano, qui nomine Capituli Aquilejensis, jurisdictionem quoque ibidem habentis, interveniebat; et Tricesimi Principis Capitaneo idem officium eo in judicio similiter praestante. Nec ipsi Decanus et Capitaneus, vel nomine suo, vel ejus pro quo vicegerentes sedebant, aliquid juris, vel ut ajunt, vocis in decernenda sententia habebant, sed soli jurati judices, quid ipsis videbatur et esse de jure opinabantur, id pronunciabant; et Acta ipsa singula perpetuam fidem faciunt, his verbis constanter sententiam praecedentibus: Domini Jurati sententiaverunt. etc. Nunc vero eandem jurisdictionem universitates illae eodem modo exercent, nulla controversia de hac a Capitulo Aquilejensi antehac mota Raspani Universitati, nec a Principe, vel recentioribus Judi=

centibus illi Tricesimi, quæ in antiqua sua possessione quietæ perma-
nent. Idem de Collalti, de Mosacii, et Daganeæ universitatibus dicendum
est, ut mihi ex aliis Mss. Codicibus et Autographis ex Actis plane cons-
tat, quæ censere singula et proferre longum omnino esset, et fastidii
plenum.

E converso, in eodem Nicolai Codice, et aliis Mss. animadverti Communes
et Universitates Tricenti, cujus Domini Jurisdicentes sunt Frangipani de Cas-
tello, Taedis, quæ sub Cucaneis; Colloreti et Melsi, quæ sub Melsiis et
Colloretis, Savorniani, quæ sub Savornianis a Vexillo; Belgradi et Flam-
bri, quæ quondam sub Capitaneo Comitis Goritiæ; Gradiscæ, quæ sub Zor-
zianis Goritiensibus; Valvasoni, quæ sub Valvasoneis; Spilimbergi, quæ sub
Spilimbergiis; Montenarsi, quæ sub Ramperziis, et Zeliaci, quæ sub Cossiis
degunt, hanc eandem jurisdictionem per suos Juratos labente sæcu-
lo XV exercuisse, et omnino similem et ordine et forma jurisdictio-
ni supramemoratæ Resparum et Tricesimi. Nunc autem in memo-
ratis locis, vel omnino sublatam, et in Dominum Jurisdicentem omnem
translatam, ut Colloreti, Melsi, Savorniani, Belgradi, Flambri, Gradiscæ,
Spilimbergi, et Zeliaci; aut ita imminutam et depressam, ut pro ni-
hilo reputetur, ut Tricenti et Valvasoni; aut dimidiatam, ut Taedis, et
Montenarsi, omnes novimus.

Quæ Universitates qua de causa, aut quomodo suis juribus orbatæ, et
vel in totum, vel pro majori parte spoliatæ fuerint, exemplo mox pa-
tefiet. Universitates Bujæ, Majani, Zumpitæ, Grandens, Torlani, Reman-
duli, Montisapertæ, et Bosaldellæ, quæ ditioni Savornianorum a Monte
non aliis subsunt, omnes sæculo XV. antelaudato (ut Acta judiciaria
in meis Codicibus Mss. cubantia inconcussam fidem faciunt) per
Juratos Judices suos, a sua universitate et ex illius corpore creatos,
et ordine et forma quæ superius est observata, jurisdictionem propriam
exercebant singillatim. Nunc ex ipsis nulla ullam retineri, vel in
umbra jurisdictionem, quæ omnis evanuit, et ad Dominos convo-
lavit, Bujæ universitate excepta, quæ jus hoc suum, sibique ab
antiquissima consuetudine firmatum, contra potentissimos Domi-

nos, inenarrabili dispendio, afflictione per secula continuata, et pene ad ultimam se redigendo egestatem, tutata est. Sed tanti huic universitati hanc servare et tueri jurisdictionem constitit, ut nepotes eorum qui bellum hoc judiciarium cum Dominis suis Savornianis committere et sustinere non reformidarunt, adhuc post tanta annorum spatia plagas agris suis inflictas doleant et lugeant; nec horum nepotes ut vulnera hæc sanata et resarcita tandem inspiciant, aliqua sunt in spe. Hæc in causa fuere, hic fuit modus, quibus, nisi æquo, saltem providenti animo, cæteræ jure suo spoliari se passæ sunt. Ut suum tueretur jus Buja universitas pene in exangue corpus evadit, hoc lugubri exemplo, et hoc justo metu ductæ cæteræ universitates prudenter juri suo cessere, ut faciles Dominos et obsequentes experirentur, et re sua domestica salva cum nepotibus fruerentur. Ne autem singulis ex enunciatis in locis immorando lugubrem, et illaudabilem oppressionem, afflictionum, et artificiorum historiam retexam, quæque Domini feudorum in omnes et in singulos ipsi subjectos rusticos egere, invito et stomachante animo enumerem, paucis me expediam. Quod Savorniani in suis feudis vel autoritate, vel metu, vel gratia perfecere, idem a cæteris Forojuliensibus Feudatariis / si paucos excipias, Ecclesiasticos præsertim / perpetratum est; et metus idem et inopia / fere enim omnes a rusticis, et ex eis Feudatariis agricolturæ causa pluribus addictis universitates hæ componuntur / Universitates voluntati Dominorum connivere coegit, sola Dominorum quorundam barbara minus natura, et mitius ingenium, et Universitatum quarundam frequentiorum motus aliquos effecere, ut jurisdictionis hujus reliquiæ quædam apud aliquas adhuc superessent; quæ tamen nostro hoc seculo, negligentia quadam et incuria accedente, quam exinanitæ, despectæ, et pro nihilo reputatæ habeantur, ipsi sciant, qui hæc lætis oculis intuentur, et qui, ut ita hæc se haberent, omnem operam, et diligentiam adhibuere.

Quamvis autem quæ a Feudatariis indiscreta, et illaudabilia, ut sibi hanc ad universitates pertinentem jurisdictionem adsciscerent, patrata sunt,

silentio obvolvere voluerimus, ea tamen prætermittenda non sunt, quæ ipsi jura sua et antiquas prerogativas appellabant, quæque ipsi Principis in aures inferre non sunt veriti, et nescio quo fato, equis auribus ab eodem Principe sunt excepta; omnimodam jurisdictionem et merum et mixtum imperium dico, quod suis Diplomatis / Investituras vocant / pedetentim, nullo reluctante vel obstrepente, immitere et intrudere curaverunt, de quo noster Anonymus, inflatis buccis, in hac Notitia se jactat.

Labente seculo XV, vel XVI incipiente, tunc cum, ut sæpe dictum est, jurisdictio omnis in Civili et Criminali in prima instantia, ut ajunt, apud locorum Universitates adhuc restaret intacta, plures ex his nostris Feudatariis incolæ Utinenses, jura illius Civitatis precario sibi imposuerant, et ut illorum Civium prerogativis, et immunitatibus fruerentur, et ut rem domesticam suam, fortasse labentem, in quæstuoso foro illo / provincia omni in illud Præsidis gratia conveniente / jurisconsulti, patrocinantes litibus sarcirent. Ab anno 1450 ad 1500 Utini advocabant Joannes Melsius, Bethalmus Brazzachius et Cergneus, Franciscus Strasoldius, Candinus Fratinas. Ab anno 1500 advocabant Utini Cornelius et Jacobus Frangipanes de Castello. Hinc quoque ut opinor, metuendos, reverendosque rusticis e suis Feudis esse cepere, et auctoritatem in eos majorem ex Iuris Civilis scientia sunt adepti; sed quod nunc est præ manibus, hac illis scientia subsidium et acumen afferente, eaque adjutrice sagaci usi sunt, ad illud Imperium in sua Diplomata expressis verbis inferendum, quod antea, si Ecclesiasticos excipias, et unum, aut binos ex his feudatariis, qui hac dignitate illustres antiquis ævis ceteros precelluerunt, illis nunquam concessum fuerat. Hac scientia munitis, et forensi usu non difficile fuit Præsidibus imponere / ab iis enim tunc, non ut nunc immediate a Principe Diplomata sua renovationis accipiebant / illud imperium præsertim, quamvis non expressis verbis, re tamen et usu antea se possedisse præferentibus, quibusdam Actis hujus imperii prolatis, vel clam Principem, vel in bellicis tumultis conscriptis. Hoc a Fratribus

Præsidibus, et rem superficie tenus perpendentibus, et in diversa districtis obtento omnimodam quoque jurisdictionem adjunxere; quæ quamvis idem re cum utroque imperio sit, strepitum tamen et verborum pompam majore hac adjectione Diplomaticis suis afferebant, quod intentioni eorum magis accomodatum, et occupationi quam in animo jam conceperant, tutius et aptius inservire animadvertebant. Hac machina erecta, statim in Universitatum jurisdictionem ejus ictus dirigi cœpti sunt; cum omnimodæ jurisdictionis cum utroque imperio se possessores antiquos venditarent, et tunc Diplomaticis explicatis et productis, etiam Principe auctore, rusticorum universitatibus partem jurisdictionis, quam exercebant, jure non deberi clamare hoc cœperunt, jure vel ab ipsis universitatis subreptam, vel feudatariorum antiquorum negligenti conniventia quadam concessam, veris justisque possessoribus illam esse restituendam, redintegrandosque successores eorum, qui jus illum revera et de facto semper habuerunt, et in suis Diplomaticis perpetuo concessum retinuerunt, illis verbis saltem involutum et importatum = jure recti et legalis feudi et cum dominio et jurisdictione. Rusticorum corporibus hoc apparenti apparatu impetitis, et suum jus nescientibus, metus est incussus; omnia inde agere ex arbitrio; si quis ex rusticis jus suæ universitatis servare satageret, vel metu, vel gratia de sententia decedere cogebatur, vel inter ceteros omnes feudatariis obsequentes solus relictus animo deficiebat; si quæ vero universitates frequentiores et promptiores jus suum tueri conarentur, aerumnis litibus et immensis dispendiis torquebantur, et interim omnia ad nutum occupabantur, et aut vi, vel auctoritate eripiebantur, ut finem et decisionem lites haberent nunquam omni conatu nitentes. Vera pronuncio, quæ depromptis immanibus chartarum voluminibus, quos Processus appellant, et in lucem hominum prolatis, inexpeditis adhuc, et a multis annorum curriculis quiescentibus et in capsis delitescentibus, liquido demonstrare possem; quæ finem mundi expectant, et suum a situ e muribus et a tineis, non a Judice vel a Principe, decisionem

quam nec sperare amplius Rustici meminere.

Jurisdictionis invasionem hanc alia occupatio consecuta est; Pascua, quę vocabulo suo vernaculo Communię cujus verę essent usui dictę demonstrant, et cujus essent in possessionem, alios Dominos sibi recens impositos inveniunt; seque in jura Feudatariorum transiisse, cum rusticorum universitatum, beneficia Principum, perpetuo fuissent, stupido mirata sunt. Fluminum usus publicum et communem esse desiit, et feudale jus in aquas quoque, quę de Regalibus Principis sunt, supervenit; Montes et Sylvę, quę antea Principum clementiâ connivente, pastum jumentis, et equibus, primum occupantiâ tribuebantur ultro, sub feudorum jugo, et jure depressę, parcius alimenta subministrare egentibus, et sub feudali pensione coguntur; omnia denique quę in locis, et solo jurisdictioni Feudatariorum designatis jacerent, omnia feudalis juris esse sancitum fuit, et quod mirum omnino videri debet, nescio quo fato, a Principe quoque. Hinc privatis agros ab antiquissimo tempore justo titulo possidentibus, lites plurimę intentatę; Feudales enim presumebantur, et juris Feudatariorum, cum in eorum essent Territorio; omnia denique susdeque revoluta et in jus Feudale transire coacta, ita ut non amplius Feuda, idest Beneficia Principum in Castris, aut paucorum circa Castrum agrorum usufructu concesso consistentia, ut antiqua Diplomata demonstrant, et Principis Veneti oracula non jampridem emanatę; sed Dynastię Principatus, aut Regna Monarchica ad hunc conferentur, et esse videcentur.

Progressus hi immanes et conspicui a Feudatariis nostris naviter, feliciterque per gradus perpetrati, oculos omnium et Principis tandem feriere; Ulmi Civitas omnem moverat lapidem ut Princeps de rebus hujusmodi certior factus, modum et remedium hisce malis imponeret; quęque potissima et prima feudali origo fuerat tolleretur, imperium nempe illud Diplomatibus intrusum; sed frustra omnem operam insumpsit, quod semel, vel aliud agens, pretermittendo probaverat, justi et sapientis Principij esse, illud revocare non existimavit. Res tamen hesit

animo; et verborum phaleris in Diplomateis, ut erant, relictis, rem ab illis retraxit; feudatariorum omnium judicii Capitales præsertim causas omnes sustulit, sibique reservavit; ipsque feudales in eorum ditionibus positas non amplius præsumi, sed ab actoribus probari debere, judicio Principis super hujusmodi controversiis sæpe exinde pronunciato, demonstratum est; flumina præterea, quæ aquas suas omnium usibus, Principis indulgentia, effundebant, eundem quem antiquitus cursum retinere, principali tantum auctoritati et imperio obnoxia; Piscariaque communia a Principe ipso, cujus dominio semper observaverant, ut a privatis et universitatibus, numerata ærario publico pecunia, comparari possent, sancitum est; et circumquaque per omnem regionem majori ex parte subhastata sunt.

Quod autem Curatoribus, vel ut vocant, Syndicis Villarum, et Rusticorum negligentiæ, et oscitantiæ, plurimum demandæ, tribuendum est, universitates locorum in jurisdictione, qua fuerunt spoliatæ, nunquam amplius restitutæ sunt, cumulativaque illa jurisdictione perpetuo exinde caruere, quæ non solum Juratis judicibus suis prerogativam in primam instantia dicendi jus vicinis suis tribuebat, sed eam, quæ speciosior digniorque est, potestatem et jus Leges suas Municipales, quas Statuta appellant, una cum feudorum Dominis cumulatim condendi amisere, quam antiquis ævis perpetuo illis servatam Statuta antiqua, quæ extant, aperte produnt. Vigent enim adhuc, nihilque ex his adsunt nonnulla, quæ usque nunc a nullo antiquata fuere: sunt mihi Capitula tria Statuti Spilimbergi, à Dominis cum Consilio Habitatorum loci illius anno 1326 x.a Augusti condita, in quo decretum. Quod si quis vulneraverit aliquem cum armis vetatis, XXV libras parvorum solvat, medietatem Dominis, medietatem Communi etc. Si quis cruentaverit vel percusserit aliquem absque armis vetatis Centum Soldos solvat, medietatem Dominis, et medietatem Commun etc. Est Autographum in pergamena Statutum Montenars anno 1373, 24 Aprilis in Vicinia loci illius firmatum cum consensu et præsentia Dominorum de Prampergo: est Statutum Villæ Montegnacci anno 1425 24 Aprilis decretum in Vicinia sine consensu vel præsentia Do-

minorum de Montegnaco, quamtuvis in eodem de tribus Juratis Judicibus renunciandis, quorum cum Villę Potestate seu Decano erat inter suos jus dicere, decernatur: est Statutum Paganee, per Dominos Vicinantiam et Consilium cumulative et conjunctim conditum: est Deliberatio universitatis Cassaci anni 1490 17 Maii firmandi et condendi Statuta sua, et quod sub pęna Ducatorum X observari debeant: est Statutum conditum anno 1653 13 Martii a Communibus et Universitatibus Vendoli et Treppi parvi / quorum Domini Savorniani sunt / in quo, ut Judices Jurati ab illa universitate singulis annis creatis usque ad unam Marcham judicant, aut infra; nec pro tanta summa ante aliud judicium quisque ex suis conveniri possit. Et ut alia prætercam, Statuta Tricenti autentica adsunt, quę, anno 1432 20 Novembris compilata sub regimine Dominorum de Castello, et in pleno Convicinio Hominum et Communitatis Villę Tarcenti, de ipsorum hominum consensu et voluntate confirmata et laudata, et exinde per Clarissimum Locumtenentem de consensu, et ad instantiam dictorum Dominorum, Universitatis Tricenti, ac etiam Communis et Villę Segnaci, pro quibus eorum Syndici comparuere, affirmata fuerunt.

Hisce artibus, hisque modis, negligentia vel ofitantia et timore Rusticorum ansam dante, pręrogativę et dignitas Feudatariorum incrementum habuere, et ad id fastigii, quod nunc intuemur et in quo gloriatur Anonymus, pervenit. Quod si Feudatariis, qui Liberi appellantur, id accessoriis permissum fuisset, non absonum nec inconveniens omnino videretur, et minus ęgre ferendum; sed quod eadem Ministerialibus quoque sit tributa dignitatis amplitudo, alterius, idest Universitatum jure et prerogativis imminutis, immo funditus per vim metumque, et radicibus evulsy, et in ipsos translatis, sine justi rectique injuria fieri non potuit. Quod vero Feudatarii Habitatores etiam eodem jure, parique conditione gratis unius alterum detrimento et deceptione honorati sint, cum tanto inferiores et jure et prerogativis apud antiquos nostros, nullo relu-

stante, semper sint habiti, omnem justitię et recti viam transcendit, omnemque fidem; nec omnino ferendum esse, aut sine instauratione, aut restitutione prętermittendum a Principe sapientissimo et justissimo presertim arbitrarer.

Finis.

Notitia hæc, quam Anonymus quidam e numero procul dubio Feu=datariorum, octuaginta ab hinc annis in compendium gloriosus miles effudit, in lucem Benetti Milocci Venetiis typis anno 1676 edi=ta fuit, Dicatoque Andreæ Valerio Senatori Veneto, hujus nostræ Pro=vinciæ Patrono; hanc tamen ego antequam Editio in manus inci=deret, hic e Ms. transtuleram, prout, forte in Autographo, inve=neram. Si de hac quoque, ut de aliis in hanc Collectionem inser=tis, judicium meum affectu omni seposito, ingenue proferendum est, pronunciabo historiolam hanc compendiariam, nec ab homi=ne indocto, nec ab omnino impudenti, immo M. Tullium pro Domo sua differentem imitanti, sermone nostro non incompto, et ordine convenienti compositam ab Anonymo nostro fuisse, et ut mihi videtur, ita esse ajo. At cum in eum scopum collimas=se Auctorem aperte intelligatur, ut gloriæ et honori Patriæ suæ consuleret plurimum et præsertim in Provincialis Generalis Cu=riæ, quam Parlamentum appellant, dignitatem ostentandam; tum ex jurisdictionibus ipsi insitæ potestate; tum ex Conscriptorum in eandem nobilitate sollicitudine majori incumbat, et altius in excelsum pro suis viribus, res nostras extollat, gestorum veritate auctoritatisque non contentus, fabellas quoque interserere proposi=to suo commodum, convenientque duxit, ut illis res nostræ inflatæ, tumentesque majorem sui opinionem, famamque et speciem le=gentibus ingererent; et ut posteriora, quæ privatam potius quam publicam notitiam persequuntur, prioribus quæ provinciæ univer=salem historiam fere attingunt, cohærentia produceret, his quoque veritati historiæ non omnino consona apposuit.